Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37192
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

eis constituit psallere vii die. De disciplina psallendi.
Postquam beatus Benedictus numerum et ordinem psalmorum
alto consilio distribuendo distinxit congrue et
aptissime subiunxit in hoc capitulo qualiter in psallendo nos
debeamus habere. Et ideo dicitur De disciplina psallendi.
A discendo dicitur disciplina. Unde disciplina
est erudicio vel doctrina. Et a disciplina dicitur disci-
pulus disciplinatus eruditus doctus. Capitulum 19.

·19· Ubique credimus divinam presen-
ciam et oculos domini in omni
loco speculari bonos et malos. ma-
xime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus
cum ad opus divinum assistimus.

Ubique etc. Presencia divina est ubique. qui ipsius in-
comprehensibilis est maiestas. et in [illegible] substan-
cia. omnia continet. omnia implet. ad omnia sufficit.
omnia intuetur. omnia scit. nichil eum latere potest. Et
ideo dicitur Et oculi domini in omni loco speculantur bo-
nos et malos. Oculorum eius speculacio est infal-
libilis et plenissime scientie ipsius cognicio. totus enim
ubique est. sine quo nichil est totum. Maxime ta-
men etc. Paulus dyaconus hic ita dicit. Illud
maxime ad nos referri potest. quia nos maxime
tempore orationis videmus nos a deo videri. Nam propterea
dedit deus verba orandi. ut nos cum ad deum ora-